



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

In R.P. Leonardi Lessii Societatis Iesv Theologi Commentarios Theologicos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

A M I N

R. P. LEONARDI LESSII
SOCIETATIS IESV THEOLOGI
COMMENTARIOS THEOLOGICOS.

*Videsne LECTOR hoc opus ? Sophie Vides
Opus sacratae. Quidquid illa condidit
A condito orbe, conditum his libris habes.
Abyssus ante & pelagus hoc rerum fuit :
Sed iste lucem fecit & compendium.
Sublimia hic videbis & subtilia :
Humanaque hic videbis & caelestia.
In pauca tibi sed vera verba conferam.
Philosophus esse qui voles, lege hos libros :
Theologus esse qui voles, lege hos libros.*

ANDREAS VALERIVS DESSELIVS, Vir non tantum Iuris vtriusque titulo, sed & scientia, quam eruditus suis monumentis posteritati tradidit, elogio clarissimus, posteaquam in sua Bibliotheca Belgica Anno 1623. qui LESSIUM immortalibus adscripsit, in lucem data, multa de editis à LESSIO voluminibus praclare enarrasset, tandem concludit. *Sunt & in manibus plurimorum in totam D. Thomae Summam dictati ab eo quondam in scholis Commentarj : quos utinam typis mandatos orbis legat vniuersus !*

Non minus ad horum LESSII posthumorum commendatione magnifice pronuntiauit NICOLAUS VERNVLÆVS, qui singularibus suis lucubrationibus eximium censei potest Louaniensis Vniuersitatis ornamentum : & modò tertium eiusdem pro tempore summus est Praeses seu Rector : is in sua Academia, quam ad alterum centenarium iubilante hac Vniuersitate Anno 1627. euulgauit, LESSIANÆ doctrinae coronidem hanc adiicit. *Quidquid publici iuris scribendo fecit, omnium applausum tulit. Quidquid è cathedra dictauit, ab omnibus quaeritur, describitur, assernatur. Ita dignum prolo indicatur quidquid ab eius ore vel calamo prodijt.*

(iij)

ACROAMA